

Pri. 27. num. 33.

7. SPECIMEN
CONTINENS

1767. 17.

CAPVT IVRIS CONTROVERSVM
AN
FILIVS NATVRALIS
ARROGATVS FIAT
LEGITIMATVS

Q V O D

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. IVR. NAT. ET GENT. PVBLIC. ORDIN.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBURG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE I. IVLII ANNO CIOCCCLXVII.


P V B L I C E D E F E N D E T

GODOFREDVS SALOMO GOTTHELF
S C H M I D E R

SEYDA SAXO.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA







AN
FILIVS NATVRALIS
ARROGATVS
FIAT LEGITIMVS.

§. I.

Equidem non nego, Legem Romanis latam
a Decemviris, quae *sacra priuata perpetua*
vt manerent, iubebat, sed an ex omni par-
te causa fuerit originis adoptionis aut arrogationis, vt vult
HEINECCIVS in *Antiqu. Roman. L. I. Tit. XI. §. 1. non-*
dum

A 2

dum



dum ex omni parte exacte probatum esse arbitror. Nam verissimum est, extraneos adoptatos in *sacra et gentem transisse* adoptiui patris, sed effectus et causa inter se confundi non debent. Praeterea non omnino verum est, interisse familiae *sacra*, si pater familias sine prole decederet. Veniebant enim et bona et *sacra* ad agnatum proximum, qui iam in familia erat, qui communes lares penatesque cum defuncto habebat. Si itaque tantum origo arrogationis fuisset priuatorum sacrorum conseruatio, quare, quae-*so*, leges ei tantum arrogare adoptareue permisissent, qui liberos non habebat. Magis ex hac ratione iis tantum permittenda fuisset arrogatio, qui nec agnatos nec gentiles haberent, ne *sacra* gentilitia familiaeque interirent. Sed de his silent Leges, praecipiuntque maxime Lex Papia Poppaea, vt ii, qui adhuc liberos procreare naturali ratione possint, sibi sobolem querant, prohibita adoptione. Largior interim, posse contigisse, vt interdum arrogatio adoptioque in auxilium adhibita, ne *sacra* interirent; sed originem absque dubio ex Romuli lege peti posse, nullus dubito. Iam enim Romulus, teste BACHIO in *Hist. Iur.* p. 8. suis ciuibus πολυπαιδιας studium commendauerat, quae iuris dispositio videatur postea sub libera Republica mansisse, vel quod tanquam maiorum mos seu consuetudo inueterata obligaret, quod probable, vel quod sua lege decemuiriri repetiissent, cuius opinionibus tamen nulla probatio supereft. Sub libera Republica vero studium πολυπαιδιας obtinuisse, coniuci potest ex DIONE CASSIO L. VI. p. 660. Ne ergo παιδες morirentur parentes, cum legitimos non haberent, ciuili

◆ ◆ ◆

5

civili ratione vel cessa in filium potestate a naturali patre,
vel populi autoritate sibi filium quaerebant. Videtur ita-
que in fraudem legis arrogatio primum applicata, saltem
ita coniici potest ex P. Scipionis Censoris Oratione apud
GELLIVM in *Noct. Attic. L. V. cap. XIX.* Sed haec
obiter.

§. II.

Trium est, adoptionem factam fuisse vel arrogatione,
vel adoptione propriè sic dicta. Arrogatio itaque maxi-
me iure Romano dicebatur, quoties solenni rogatione ad
populum in comitiis curiatis lege quis in alterius patriam
potestatemi redigebatur, qui sui iuris esset, cuius rogatio-
nis verba habet **GELLIVS** cit. loc. adhibita pontificum
autoritate, qui comitia haec habebant, ita enim **GELLIVS**:
nam comitia arbitris etiam Pontificibus praebentur, quae
curiata appellantur, quod ideo factum, ut arrogatum, qui in
rem suam autor siebat simil transcriberent in sacra fami-
liae arrogatoris; quo facto familiae iura obtinebat. Sed
praeterquam quod *vesticeps* esse debebat, seu qui togam pu-
ram sumferat, ante Pii A. constitutionem quo comparere
possent in comitiis, in arrogando requirebatur, ut *sui iuris*
esset, et Ciuis Romanus.

§. III.

Non vero reliqua, quae de arrogatione adoptioneue
in iure romano scripta sunt, vrgeo. Venio ad thema.

A 3

Quae-



Quaeritur scilicet, *an filius ex concubina progenitus arrogatus, legitimus fiat.* Cum filius naturalis sui iuris esset, quod pater in naturales liberos ex concubina progenitos nullam haberet potestatem, veteri iure vix dubitandum videtur, si mater concubina ciuis romana fuerat, naturalem filium, quod et ciuis et sui iuris esset, recte potuisse arrogari, a parente naturali, et arrogatione iura legitimi filii obtinuisse inque patris arrogatoris familiam et sacra venisse. Ita sane ex *L. vlt. ff. de adopt.* argumentum ducunt.

§. IV.

Neque huius iuris autor est *Anastasius Imperator*, ut videtur affirmare *L. 6. C. de nat. liberis*. Anastasius enim legitimationem declarauerat per arrogationem faciendam, et in tantum autor est, eaque Anastasiana arrogatio dicitur, cui scilicet nouam formam dederat, cum antiqua illa arrogatio, quae legis actio esset, sublatis a *Constantio* in *L. 1. C. de formul. et impetr.* formulis solennibus, quibus olim lege agebatur, arrogatio non amplius ad antiquum modum obseruari posset. Ea itaque Anastasiana arrogatione facta, legitimi efficiebantur.

§. V.

Ad postquam vel legitimationem per subsequentes nuptias comprobassent iura, vel alios legitimandi modos inuenissent, Imp. *IUSTINVS* in *L. 7. C. de adopt. arrogandi*



gandi modum naturalium liberorum sustulit, quae iuris dispositio ab Imp. IVSTINIANO in *Nou. LXXXIX.* et *LXXIV.c. 3.* adprobata, vt arrogatio naturalium liberorum vix videatur amplius efficere, vt legitimorum iura tribuat.

§. VI.

Sed quid de forensi iure? Ipsa quidem arrogatio adeo frequens non est, non tamen abrogata in praxi: at vel ex duplice causa videtur negari posse, arrogationem a naturali patre maxime naturalibus liberis legitimorum iura tribuere. Sicut enim omnis arrogatio ex solo Romano iure germaniae populis cognita facta fuit, Iustinianeum vero ius adrogationem ad effectum legitimationis improbet, ita et in foro ex recepto iure aliter statuendum non videtur. Dein cum patriis moribus per leges nondum abrogatis, ii qui extra matrimonium progeniti sunt liberi, macula laborent, contra Romano iure naturales liberi, quos ob prohibitum in Germania concubinatum haud habemus, nullam honestatis nominis iacturam unquam passi fuerunt, legitimi vero macula laborantes haud cogitentur, arrogationis inuentum romani iuris nunquam effectus legitimationis proferre posse videtur, non enim potest tollere maculam spuriis nostris, quos cum naturalibus comparamus in causa legitimationis, ad quem effectum romanis incognita fuerat. Vtique ergo arrogatio naturalis partus a patre naturali moribus patriis ad effectum legitimationis adseri potest, in cuius locum legitimatio per rescriptum principis ad effectum

succes-



successionis adhibenda, nisi statuas, arrogationem cum aequa
que per rescriptum principis fiat, ab illa legitimatione vix
amplius diuersam fore.

§. VII.

Sed quid, si alius, quam naturalis parens arrogare
velit filium spurium, an tunc legitimus efficiatur, ut simul
macula cesset. Et cum, nisi noua lege prouinciali defuper
lata, inuenta romani iuris, in rebus ex populari genio in-
uentis effectum habere nequeant, arrogatio vero ad maculam
natuitatis, quae ex Germanorum antiquiorum opinionibus
super est, tollendam inuenta non sit, nisi in confirmatione
arrogationis simul a principe arrogando spurio macula
auferatur, nunquam arrogatio filii naturalis nostris mori-
bus legitimorum perfecta iura tribuet, quae is in familia
nequit habere, qui laborat natuitatis macula.

T A N T V M.




ULB Halle
003 719 014

3



1078







Farbkarte #13

B.I.G.

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Centimetres																		
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
inches																		
Blue	Cyan	Green	Yellow		Red	Magenta	White		3/Color	Black								

Ri. 27. num. 33.

1767.17

CIMEN
NTINENS
CONTROVERSVM
AN
ATVRALIS
ATVS FIAT
TIMATVS
VOD
VM ORDINIS GRATIA
E S I D E
HENR. BREVNING
ET GENT. PVBLIC. ORDIN.
LITER. DVISBURG.
OCIO
DARIO PETRINO
NNO CICICCLXVII.
E DEFENDET
ALOMO GOTTHELF
MIDER
DA SAXO.

SIAE
A LANGENHEMIA

RIED
ERS.
ALLE